VENETORUM COMMERCIUM ET NAVIGATIONES PLURIMAE UTILITATI SCIENTIIS LITTERIS...

Francesco Panella



9

VENETORUM
COMMERCIUM ET NAVIGATIONES

PLURIMAE UTILITATI

SCIENTIIS, LITTERIS ET ARTIBUS

FUERUNT

ORATIO

HABITA

IN SEMINARIO PATAVINO

IV. CAL. AUG. ANN. MDCCCXLVII.

A PRAEFECTO STUDIORUM

FRANCISCO PANELLA

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1847

PATRICIO AMPLISSIMO

JOANNI COM. CORRER

CONSILIARIO INTIMO, ET CUBICULARIO

SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS

EQUITI CORONAE FERREAE

VENETI MUNICIPII PRAESIDI ETC. ETC.

FRANCISCUS PANELLA

S. D.

Postulat ratio officii mei, ut quotannis latinam orationem publice recitem, argumento ad arbitrium delecto. Hoc anno ostendere sum conatus, quantum emolumenti in scientias, litteras, atque artes ex Venetorum commercio, et navigationibus redundaverit. Ad id me impulit italicae gloriae studium, venetae reipublicae splendor, rerumque gestarum amplitudo, atque

ipsa doctorum hominum ad eam urbem frequentia, qui nona vice scientiae causa conveniunt. Cui autem potius, quam Tibi, inscribam lucubrationem meam, excellentissime Vir, qui nobilissimi municipii dignitatem tam egregie sustines? qui Venetos tuos omni cura et benevolentia complecteris? Faveas, precor, etiam mihi tuum nomen ad opusculi commendationem efflagitanti. Interim grati animi erga te mei significationem excipias velim.

Datum Patavii Prid. Non. Sept. Ann. MDCCCXLVII.

Quum omnia ferme saecula peculiari aliqua nota invicem secernantur, ac proprio quodam nomine nuncupentur; istud certe, quo vitam ducimus, a doctorum hominum conventibus nominandum existimo. Nulla enimvero aetas tam vehementi animi studio scientiarum cultores simul conjunxit ad incrementum doctrinae. Satis habebant Graeci, suae gentis homines ad solemnia Olympiorum spectacula convocatos Herodoti, aliorumque elegantium scriptorum lectione detinere. Satis erat Romanis in Augusti ac Maecenatis domo, quo flos civitatis convenire solebat, litterariis exercitationibus tempus tribuere, et honoribus, praemiis, largitionibus litteratorum ingenia alere atque inflammare. Ipsae etiam academiae, quibus post litteras restitutas semper abundavit, et abundat Italia, suis plerumque finibus continebantur, quum raro admodum contingeret, ut scientia ad extendendos doctrinae limites, relicta patria, in longinquas regiones peregrinaretur. Neque aliter fieri poterat in ea tanta itinerum ac temporum difficultate. Nunc vero

immutatis rebus, quum tot praesto sint adjumenta ac praesidia discendi, nova quaedam lux accessisse videtur naturalibus scientiis, quae non amplius unius urbis angustiis circumscriptae, sed ubique disseminatae, avidissime quaesitae, atque summo cum honore exceptae, in aliqua praeclarissima ac florentissima civitate, saltem per aliquot dies, splendidioris imperii sedem quotannis constituunt. Pisae, Augusta Taurinorum, Florentia, Patavium, Luca, Mediolanum, Neapolis, Genua ostentant adhuc celeberrima tot virorum nomina, quos non modo ex universa Italia, sed etiam ex pluribus Europae provinciis docendi, discendive ardor amico foedere copulavit. Et jam optatissimo autumni tempore appropinquante, gaudio quodammodo efferri mihi videntur nobilissimae Venetiarum insulae, quibus hoc anno, altero post hunc mense cum nostrates, tum exteri scientiarum professores novum decus adjicient et ornamentum. O diem illam pulcherrimam, et nobis et toti Italiae jucundissimam, qua egregiis omnium scientiarum cultoribus licebit eam urbem invisere, unde potissimum ea lux exorta est, quae universam Europam barbarorum labe contaminatam ad civilem cultum humanitatemque traduxit! Licet enim, quod nemo ignorat, praecipua Venetorum laus in amplificando terra marique commercio, et in maritimis peregrinationibus posita fuerit; ego tamen id contendam, istud ipsum commercium, atque hujusmodi peregrinationes, et scientiis et litteris et artibus mirum quantum profuisse. Hoc au-

tem tempore, in hac tanta finitimarum regionum alacritate, in hac omnium ordinum ac civium laetitia, in hac nostra civitate, quae Archigymnasii sui splendorem, amplificationem, famaeque claritatem magna ex parte Venetis debet, indignum esse duxi de Venetorum laudibus tacere; et quoniam superiore anno de peregrinationum utilitatibus generatim verba feci, non alienum ab ea re putavi Venetorum commercia et peregrinationes peculiariter attingere. Id vero, nisi me animus fallit, cum proximo doctorum conventu cohaeret, et congruit. Unde enim lectissimus tot illustrium virorum coetus nomen suum auspicatur? nonne a Marco Polo? Cui inscribitur numisma? nonne huic ipsi praestantissimo peregrinatorum duci ac principi? Videtis igitur, auditores, quanta mihi spes affulgeat fore, ut ea, quae modo ad Venetos ornandos dicturus sum, nostris hisce adolescentibus non inutilia, vobis pro singulari vestra humanitate et gratia non sint injucunda.

Necessitas primum Venetos ad commercia vocavit; postea etiam oblectatio, utilitas et commodioris vitae desiderium. Nam ita venetae insulae sitae sunt, ut earum incolae necessario commercium spectare debeant. Hinc enim plura flumina, eaque amplissima, geminus Medoacus, Athesis, Eridanus in adriaticum sinum influunt; hinc vero, quod magis interest, maris tractus longe lateque protenditur, qui viam aperit ad remotas insulas ac regiones agrorum fructibus copiosissimas, ex quibus multa ad vitam necessaria subvehi ac suppor-

tari Venetis poterant, qui ut frequentes immanium barbarorum incursiones effugerent, in tutissimas ac pacificas adriaci maris insulas religionis, libertatis, otii, linguae ac fortunarum suarum sedem transtulerant. Veneti itaque coeperunt ad orientem oculos cogitationesque convertere. Et quemadmodum plantae iis in terris radices altius defigunt, ibique frondes ac folia laetius explicant, unde majorem humoris lucisque copiam eliciunt; ita Veneti, quamvis mediterraneas regiones, e quibus egressi fuerant, non negligerent; attamen multo avidius et quaestuosius in orientem contenderunt. Profecto nihil erat, quod Venetos id temporis ad occidentem cum voluptate et fructu posset allicere. Jam Heruli, Gothi, Hunni, Langobardi, tot barbarae nationes, tam variae linguis, quam armis et vestibus Galliam, Hispaniam, Italiam igne ferroque vastarant; jam divina omnia et humana cum cinere urbium, ac sanguine civium miscuerant; Aquileja, Altinum, Concordia, Patavium, gloriosissima quondam oppida, humi prostrata jacebant ac diruta, tacebant litterae, interierant artes, incolis omnibus aut trucidatis aut oppressis sola grassabatur crudelitas, sola dominabatur ignorantia; ubique terror, silentium, solitudo. Nam quid boni reliquum esse poterat, quum omnium tyrannorum immanissimus Attila jurejurando affirmasset, nullum unquam herbae gramen oriturum in eo solo, quod equi sui ungula perculisset? At nunc, quod Superi avertant, si caput e tumulo educeret, quo esset animo,

quum videret italae gentis perfugium, communis libertatis portum, optimarum artium parentem atque altricem, adriaci maris reginam e tanta calamitate tanquam ex turbulentissimis fluctibus emersisse? At relictis barbaris ad Venetos redeamus.

Non hic in memoriam reducam Naronenses praedones, Anconitanos, Pisanos mari superatos; non commemorabo pedestrem Narsetis exercitum Venetorum navibus ad Ravennae oras expositum, eamque urbem omni barbarorum periculo liberatam; non repetam Gothorum classem prope ab Anconae littore disjectam, caeterasque navales victorias, quibus succrescens respublica ad augendum commercium sapientissime usa est; hoc unum dicam, graecorum Imperatorum Exarchum Eutychium, qui Ravenna Venetias confugerat, in pristinam sedem a Venetis fuisse restitutum, atque ipsum orientis imperium semel atque iterum e belli faucibus ereptum; quibus rebus Veneti tam multos honores, jura, munera, immunitates, privilegia a graecis Imperatoribus Zenone, Leone isaurico, Justino, Justiniano, Constantino octavo, Nicephoro aliisque adepti sunt, ut etiam spectatissimae inter utramque civitatem conciliarentur nuptiae, et ipsa Imperatoris Basilii secundi neptis Joanni Petri Urseoli ducis filio in matrimonio collocaretur. Quam ob causam magnus Venetorum numerus in graeci imperii insulas atque oppida commigravit, ac praesertim Constantinopolim, quae urbs veterum disciplinarum artiumque domicilium, venetae

reipublicae gratia occidentem cum oriente communi adhuc vinculo conjungebat.

Do equidem plerosque Venetos commutandarum mercium et quaestus consequendi causa in orientem navigasse; at illud etiam non ignoro, a Jacobo quodam veneto theologicas quaestiones Constantinopoli graeco sermone fuisse institutas, et ipsum Aristotelem ab eodem primum latine redditum; quod certe magno argumento esse potest, jam tum ex Venetorum commercio litteras ac scientias plurimum utilitatis percepisse. Quid vero de artibus dicam, quae in universo oriente adeo florebant? Quanta Venetorum diligentia ad ea omnia perdiscenda, quae in illis regionibus, ac praecipue Alexandriae, Antiochiae, Damasci exquisito opere atque artificio conficiebantur? Venetorum laus est, ex splendidissimis ac pellucidis Phoeniciae arenis vitrum componere, et vitri globulos, quos margaritas vocant, apte inter se connectere, eoque colore inficere, qui smaragdum, qui topazion, chysolithum, pyropum, et incredibilem florum varietatem pulcritudinemque egregie imitetur. Veneti musivis operibus ac picturis, quas a Graecis didicerant, templorum parietes decorandos suscipiunt. Veneti specula condunt ea magnitudine, ea laevitate, eo candore, qui byzantinorum speculorum famam citissime obscuret. Veneti ex ebore formas educunt, sidonio murice lanas imbuunt, ferrum ad acies trahendas aptissime temperant, et tenuissimis auri filis exornant, armillas concinnant, mundo muliebri opus

quondam pernecessarium, ex auro et serico vestes contexunt, corio ac ligno aurum subtiliter obducunt: quae quidem omnia aperte declarant, nihil usquam fuisse in artium usu positum, quod Venetorum industriam et ingenium posset effugere. Quo loco non possum quin honoris causa nominem recentes Venetos avitae laudis aemulatores, Talaminium imprimis, et nostris hisce diebus Petrum Bigaglia aureo numismate praeterito anno publice donatum, quorum prior cerae, alter vitro dissimiles formas et colores tanta induxit sollertia, ut tibi non vasa aut pocula, sed amoenissimum viridarium omni florum genere exornatum ante oculos habere videaris. Verum satis de recentibus; antiqua enim tempora orationem meam jure deposcunt.

Auxerat multo magis eas commoditates, artiumque cultum conflata ex omnibus Europae populis crucesignatorum repetita expeditio, in qua dum Angli, dum Germani, dum Galli in Syriae campis pro Christi sepulcro fortiter dimicantes insignia victoriae referunt; Veneti e contrario, duce Dominico Michaelio, Rhodo ac Tyro opulentissimis urbibus expugnatis, et pluribus domiciliis in omni Graecorum Latinorumque ditione constitutis, non insignia victoriae tantum, sed amplissimum atque uberrimum victoriae fructum reportarunt.

Revocate, quaeso, in memoriam eum diem, quum Henricus Dandulus octogenario major, et ob nefandam graecae perfidiae atrocitatem oculis captus, unus ante omnes venetae reipublicae vexillum in Byzantii muris

defixit. Quot eo tempore monumenta, quot signa, quot columnae, quae ornamento tantae urbi erant, sunt ex illo loco Venetias deportatae! quot ex caeteris Graeciae et Asiae minoris insulis, quae aliae ex aliis in Venetorum potestatem venerunt! Testes sint duae illae columnae eximiae prorsus magnitudinis, quae in parvo, uti vocant, Divi Marci foro, (si quid parvi Venetiis potest occurrere), Divi Theodori, et Marci ipsius simulacrum sustentant. Testes quatuor illi equi, quibus nihil pulcrius, nihil mirabilius videri usquam potest, qui in majoris Basilicae pronao alte collocati et veterem Venetorum triumphum, et recentem Augusti Imperatoris Francisci I victoriam liberalitatemque recordantur. Testes tot tabulae, marmora, exuviae, quae Venetorum templa, palatia, musea, bibliothecas, vias ipsas ac fora complent, quaeque non unam tantum, sed decem Italiae urbes cumulatissime decorarent.

Verum hactenus Veneti aut nusquam, aut vix praetergressi fuerant graeci imperii fines. Dux aliquis et auctor requirebatur, qui caeteris ad longinquiora loca adeunda investigando et peregrinando viam praemonstraret. Quanquam quid unum tantum expostulo, quum uno eodemque tempore, et ex eadem una domo tres clarissimi peregrinatores prodierint Nicolaus, et Matthaeus Polo, tuque imprimis Marce, dulcissimum civibus tuis nomen, qui per illam aetatem omnium, quos ante cognovimus, celebritatem et gloriam longe multumque superasti? Tu plures provincias obiisti, quam

alii concupiverunt, utramque videlicet Armeniam, Persidem, Cinam, Indiam; tu Tartarorum linguam edoctus ingenii tui morumque suavitate tantum tibi apud omnes amorem conciliasti, ut a summo illius gentis rege multis auctus honoribus et imperiis, honestissimas quoque legationes ejus nomine fungereris; tu pluribus in indico oceano insulis peragratis, atque sex et viginti annos peregrinus egregius in disjunctissimis regionibus immoratus, omnium primus Japoniae, et Sinensis imperii mentionem obstupescentibus Europae populis intulisti. Tuae sunt descriptiones orarum, regionum, fluminum, montium; tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu agrorum cultum, tu regum et populi mores, tu dies festos, tu nuptiales ritus, tu animalia, plantas, eximiae pulcritudinis lapillos, et incredibiles divitias evulgasti. Quod si aequales tui, quique eos proxime consecuti sunt, minus quam par erat, fidei narrationibus tuis adhibuerunt, nostrae aetatis officium fuit, a turpissima mendacii calumnia tua scripta vindicare, et Veneti Marci Poli famam in pristinam dignitatem restituere (1). Itaque tuum nomen non sine magna Venetorum laude late pervagabitur, neque ulla Europae natio de tuis peregrinationibus obmutescet.

Quid nunc caeteros persequar, qui Marci Poli vestigiis strenue institerunt? Assyria, Aethiopia, Aegyptus

(1) Marci Poli historia ad fidem optimi codicis multo emendatior hisce diebus in lucem prodit cura et industria egregii adolescentis Vincentii Lazari.

adhuc praedicant Peregrini Brocardi, et Pauli Trevisani eruditos labores, quorum alter insignes pyramides accurate dimensus est; alteri vero Nilus ipse, qui fontium celat origines, se se tandem aliquando laetissime aperuit. Haec ipsa Aegyptus, Palaestina, Syria ob oculos ponunt Marini Sanudi vulgo Torselli diligentissimas locorum descriptiones ad eorum utilitatem, qui sacra bella iis regionibus essent illaturi. Insulae promontorii viridis adhuc mirantur animosos Aloysii Cadamosti cursus, qui herculeo freto superato, auspice Henrico Lusitaniae Infante, primus inter Europaeos ad Guineae oras accessit aequinoctialem circulum praetergressus. Silentio praetereo Nicolaum Brancaleonem, cujus extat etiamnum apud Abyssinos memoria; praetereo Josaphat Barbarum, a quo euxinum littus, Tartarorum Persarumque regiones magno sunt studio et labore peragratae; omitto Joannem Cabottum, eodemque animo filium Sebastianum, quibus regnante Henrico VII tantum debuit Britannia, quorum inaudita virtus, ne dicam audacia, ipsa Columbi aetate (1), in eas terras penetravit, ubi nunc viget foederata septemtrionalis Americae respublica. Ecquis autem dignis laudibus exornet Nico-

(1) Ne quis putet hoc loco, et infra, ubi de Zenis sermo incidit, me de immortalis Columbi gloria quidquam velle detrahere, cujus haec semper vera, propria, et singularis laus est, quod non conjectura aliqua, aut casu, sed doctrina sua fretus, sciens et volens ad novum orbem inquirendum praeclaram illam navigationem susceperit.

laum Conti, qui Damasco profectus, quum Persarum Arabumque sermonem pulcre edidicisset, Babylonem primum, tum ad Persidem contendit; deinde Taprobane, *quae super aestivi torretur sidere cancri,* multisque Asiae insulis inspectis, vastissimas ultra Gangem provincias invisit; tum vero ad Sinas iter fecit, postea Calecutium rediit, et ad arabici sinus ostia appulsus, Africae regna, atque Arabiae petraeae terras lustravit, ac Memphi paululum commoratus post infinitas molestias, post tot maris terraeque discrimina salvus tandem et incolumis Venetias remeavit? Quid dicam de praeclarissimis viris Nicolao et Antonio Zeno, Caroli illius fratribus, qui clodiensi bello una cum Victore Pisani patriam ab interitu retraxit, quorum domus universa de peregrinationibus fuit optime merita, quibus non amplius terrarum ultima fuit Thule, qui plurimis ad borealem Europae plagam regnis perlustratis, difficillimo mari, decem ferme et centum ante Columbum annis, uti multorum opinio est, septemtrionales novi orbis regiones infesta ac periculosa navigatione attigerunt? O utinam tot peregrinationum historia ad nos integra pervenisset! quantus cognitionum thesaurus miserrime interiit! Dedit quidem operam multis post annis Nicolaus Zeno ex eadem familia genitus, ut majorum suorum scripta, puerili quadam imprudentia dilacerata, pro viribus reficeret; at multo etiam praeclarius nostrae aetatis homines, qui ea ipsa regna ac maria explorarunt, duorum fratrum

virtuti amplissimum testimonium reddiderunt. Quanquam et ipsa patria gratiam, uti par erat, retulit, quum in ea publici palatii aula, quae nomen cepit a scuto, tot illustrium Venetorum peregrinationes eximio penicillo depictas posterorum oculis non tam ad intuendum, quam ad imitandum subjecit.

Quantum vero emolumenti ex hisce Venetorum peregrinationibus in plurimas scientias manarit, cujus sermo satis explicabit? Hinc geographia amplitudinem marium, montium altitudinem, orarum ac fluminum amoenitates, oppidorum situm pulcritudinem frequentiam, regionum naturam attente intuetur, sollerterque designat. Hinc historia veritatis lux, ac temporum testis populorum mores, studia, leges, rerumpublicarum statum, artium commerciique splendorem, regnorum ortum atque interitum posteritatis memoriae sapienter committit. Quod imprimis praestitit Joannes Baptista Ramnusius venetarum potissimum peregrinationum vulgator eruditissimus. Hinc agricultura externis frugibus ac plantis proprios agros foecundat. Hinc historia naturalis in triplici naturae regno novas animalium, plantarum, lapidumque formas describendas aggreditur. Hinc medicina ex lectissimis ac saluberrimis Indiarum aromatis pharmaca componit, quae per multa saecula, non sine magno valetudinis adjumento, quamplurimum lucri venetis medicaminum officinis pepererunt. Hinc astronomia novis sideribus in australi polo conspectis observationes suas locuple-

lat (1). Hinc ipsa poesis novis cognitionibus, novisque comparationibus e caelo, e terra, e mari petitis lucem carminibus suis affert, ac dignitatem. Quo enim pacto Aligherius noster, ut unum aliquem nominem, in primo et octavo Purgatorii cantu septem clarissimas stellas, quae austri crucem constituunt, borealis hemisphaerii habitatoribus prorsus invisas, in australi regione commemorasset, nisi egregius poeta eas esse a venetis navigatoribus fama et auditione accepisset?

Io mi volsi a man destra, e posi mente
All'altro polo, e vidi quattro stelle
Non viste mai fuor, ch'alla prima gente.
Goder parea 'l ciel di lor fiammelle.
O settentrional vedovo sito,
Poi che privato se' di mirar quelle (2)!
C. I. v. 22.

Gli occhi miei ghiotti andavan pure al cielo,
Pur là dove le stelle son più tarde,
Sì come ruota più presso allo stelo.

(1) Non est hoc loco praetereundum, senatum venetum Tychonis fama commotum decrevisse, ut eximius aliquis professor servandorum siderum causa in Aegyptum proficisceretur (*Toaldo, Saggi di studii veneti pag.* 25).

(2) Vide adnotationes in edit. patavina ann. 1822. Typis Minervae.

E 'l duca mio: Figliuol, che lassù guarde?
Ed io a lui: A quelle tre facelle,
Di che 'l polo di qua tutto quanto arde.
Ed egli a me: le quattro chiare stelle
Che vedevi staman son di là basse
E queste son salite ov' eran quelle.

C. VIII. v. 85.

Hinc monachus camaldulensis omnium sermone celebratissimus, nomine Maurus, tabulam illam geographicam, aequalium ac posterorum admirationem, artis prodigium, eximio opere perfecit, cujus exemplar magno sumptu descriptum sibi efflagitavit Lusitaniae rex Alphonsus; quae, inquam, tabula, heu quanto cum detrimento veneti commercii! per extremas australis Africae partes ad ditissima Indiae regna viam patere posse monstravit. Hinc mirifice profecit scientia rerum maritimarum ope acus magneticae, et nauticae pyxidis, cujus sin minus inventum, communis saltem usus et perfectio a venetis navium gubernatoribus est repetenda. Hinc demum, ne plura dicendo consecter, navalis et civilis architectura multa ac diversa aedificandi genera inter Saracenos, Arabas, Graecos ita sibi imitanda desumpsit, ut Venetiarum civitas in omnibus aedificiis tum publicis tum privatis, qua sacris qua profanis et dissimilium populorum, quibuscum commercia exercuit, et regionum quas obivit speciem quandam, et historicam quasi tabulam etiamnum advenarum oculis

conspiciendam exhibeat. Nonne igitur optimo jure affirmavi, Venetorum commercia et navigationes plurimum emolumenti scientiis attulisse?

Quid vero si litteras simul et scientias, quae mutuo sibi auxilio sunt, perpendamus? Infandum sane dolorem renovare cogor, auditores, et anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi tertii exeuntem mensem majum recordari, quo Byzantii urbs pulcherrima, florentissima, ac loci natura munitissima, asiatici atque europaei commercii sedes praecipua, omnium divitiarum receptaculum, omnium disciplinarum, omnium bonarum artium altrix atque custos, Mohamedis II armis oppressa insanabili vulnere concidebat.

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos et religiosa deorum
Limina . . . .

Virg. Aen. l. II. v. 363.

Quanto autem cum luctu inter immanes Turcarum caedes ac rapinas intercidissent tot Graecorum Latinorumque labores, tot litterarum ac scientiarum studia, tot summi pretii codices, nisi veterum saeculorum sapientia e patriis sedibus crudelissime ejecta, et districtos hostium enses flammasque pertimescens, opportunissimo navium praesidio in venetae reipublicae complexum ac sinum advolasset? Equidem non sum nescius, centum

et amplius ante Byzantii interitum annis Italiam ex somno socordiaque, in qua tandiu jacuerat, reviviscere ac recreari coepisse. Non me praeterea latet, quantum Aligherius, quantum Boccaccius, quantum prae caeteris elaborarit Franciscus Petrarcha ad excitanda atque inflammanda Italorum ingenia. At quam pauci in litteris ac scientiis progressus fecissent, quandiu adhuc plerique Italorum abfuissent a perfectione summae laudis, nisi Venetorum classis doctissimos homines ex universa Graecia honorifice ac studiose collectos ad haec beatissima littora adduxisset? Tunc talium virorum adventus, libri basilici, graecae romani juris interpretationes, graecorumque scriptorum codices, quos ii secum attulerant, tantum in cuncta Italia ac praecipue Venetiis erga graecas litteras amorem concitarunt, ut nemo fere litteratus vir aliquo in pretio haberetur, qui non ea studia vehementer excoleret. Tunc veneti oratores Leonardus Justinianus et Franciscus Barbarus reipublicae verbis Imperatorem Palaeologum Venetias appulsum ea graeci sermonis elegantia allocuti sunt, ut veteribus illis Athenis nati viderentur. Tunc non solum Venetiae et Patavium, cujus Archigymnasio veneti praeerant studiorum moderatores, sed eximiae quoque Italiae civitates Roma, Florentia, Bononia, Mediolanum, Neapolis certatim ad se advocarunt doctissimos professores, quibus publicum graecae linguae docendae munus committeretur. Celebrantur adhuc, semperque, dum litteris erit honor, celebra-

buntur omnium linguis et scriptis Emmanuel Chrysoloras graecae litteraturae in occidente instaurator; Joannes Argyropolus, qui Florentiae auditores habuit Laurentium de Medicis et Angelum Politianum; Marcus Musurus, cujus audiendi gratia Erasmus ipse, Germaniae lumen, Patavium venisse traditur; Georgius Trapezuntius aristotelicae doctrinae propugnator acerrimus; Nicolaus Sagundinus, quem ad intima consilia venetus senatus adhibuit; Constantinus Lascaris regali genere clarus; Demetrius Chalcondylas patavini Archigymnasii decus: quorum numero adscribendi sunt Gemistus, Philelphus, Cidonius, Eparchus, Gaza, aliique bene multi, quibus post atrocissimas Graeciae calamitates solatium ac perfugium praebuit Italia. Tunc, ut uno verbo omnia complectar, illuxit tandem aliquando felicissimum saeculum summi Pontificis Leonis X, qui auream Augusti aetatem in Italia renovavit, quum non modo graecae litterae, sed latinae quoque et italae, quibuscum sororia intercedit necessitudo, uno eodemque tempore gloriosissime floruerunt. Et quoniam singulae litteraturae partes arctissimo inter se vinculo continentur; sic marmora quoque, inscriptiones, aereae tabulae, nummi, signa, numismata acri studio ac diligentia conquiri et colligi coepta sunt, quae tum rectae latine scribendi rationi, tum romanis graecisque antiquitatibus plurimam lucem attulerunt. Qua in re operam curamque imprimis collocarunt Veneti, qui quum et opibus et maritimis copiis multum valerent, ac praeterea

Cretam, Cyprum, Peloponnesum pluresque Graeciae insulas adhuc in sua retinerent potestate, adeo splendida, adeo locupletia omnigenae antiquitatis musea Venetiis instituerunt, ut expressam ac vividam veteris Graeciae Romaeque imaginem praeseferrent (1). Neque id mente et cogitatione confingo, sed ex italis Pauli Manutii epistolis aperte colligo; ita enim scribit egregius vir de Andreae Lauredani museo: «In forum romanum ingredi visus sum, quo tempore aedilium impensis et cura per festos ludorum dies magnificentissime exornabatur. Maxima laetitia et admiratione affectus modo ad signa, modo ad tabulas oculos circumferebam; Praxitelis marmora, Polycleti statuas, Apellis colores intueri putabam. Propius ad numismata accedens vidi aurum et argentum, vidi pretiosa Corinthi aera, vidi ejus urbis exstinctorem. Multa occurrebant Barbarorum, Grajorumque simulacra, Romanorum vero prope infinita, apte sciteque disposita, omnia ad veri imitationem efficta, nonnulla vetustatis injuria aliquantum attrita, nonnulla plane integra ad ipsa supercilia ac rugas frontis: omnes clarissimi consules, omnes summi imperatores, omnia bella, tropaea, triumphi, arcus,

(1) De Venetorum museis disserit etiam Tiraboschi T. VII P. I pag. 339, et T. VIII P. I. pag. 110. Ven. Antonelli 1824. Eminebat inter alia museum Philippi Farseti. de quo doctissimam et elegantissimam epistolam latinam scripsit Natalis Lastesius; cujus extat etiam breve sed aureum poema, cui titulus: Apollo Vaticanus.

arma, vestes, sacrificia ante oculos obversabantur. Quae ego oculis et animo contuens paucis horis tot rerum notitias sum assecutus, quot neque Livius, neque Polybius, neque omnes simul collectae historiae plurium annorum spatio suppeditassent».

Quantum inde fructum perceperint litterae, apertissime testantur Gruterus, Sigonius, Panvinius, Manutius, qui aut Venetiis aut venetis adjutoribus, litteratisque marmoribus in ea urbe collectis, illius scientiae fundamenta jecerunt, quae postea ad Graecorum Romanorumque antiquitates illustrandas caeteris scriptoribus facem praetulit. Atque utinam haec omnia nobilium familiarum decora etiamnum integra extarent! Sed privatorum supellex, et opes etiam pretiosissimae fato nescio quo tristissimo et calamitoso dissipantur saepissime atque intereunt. Quare publicae utilitati multo sapientius consuluerunt Joannes ac Dominicus Grimani, qui domesticum museum omnium fortasse pulcherrimum patriae dono dederunt, quod deinde Jacobi Contareni, aliorumque liberalitate adauctum eximiam Divi Marci bibliothecam nuperrime ornabat; nunc vero intra eadem tecta Augusti Imperatoris Ferdinandi I jussu, sumptuque regio certis in sedibus clariori quasi in lumine explendescit.

Quae quum ita sint, quid miramur tot id temporis viros doctrina ac litteris praestantes Venetiis excelluisse, quum vel nobilissimi cives non solum se ad ea studia conferrent, sed etiam liberalium disciplinarum prae-

cepta juventuti traderent? Cui non auditum nomen Francisci Barbari, qui Theocritum, qui Demosthenem, qui Aristotelem domi interpretabatur? Cui non plane perspecta Casparis Contareni munificentia, cujus domum, teste Joanne a Casa, tanquam humaniorum litterarum palaestram ii, qui doctrinae desiderio tenebantur, ut cum maxime celebrabant? Ecquis summis laudibus non extollat Bembum, Navagerum, Ramnusium, Rambertum, Hieronymum Donatum, Dominicum Molinum, Franciscum et duos Hermolaos Barbaros, Contarenos, Gradonicos, Justinianos, Quirinos, aliosque complures, quorum in domibus doctrinae principatus prope hereditario jure constitutus videbatur?

Hisce autem Venetis, quos modo laudavi, addendum puto insignem sapientia ac pietate virum cardinalem Bessarionem, patriarcham constantinopolitanum, qui licet Venetiis ortus non fuerit, venetus tamen et voluntate judicandus est, et cooptatione inter patricios, cujus in venetam rempublicam tantus fuit amor, ut bibliothecam suam ex codicibus exquisitissimis triginta millium aureorum nummum pretio comparatam Venetis muneri mittendam decreverit; quae bibliotheca non modo inter eximia urbis ornamenta semper est habita, sed magno etiam usui doctis hominibus esse coepit, praesertim quum praestantissima Graecorum ac Latinorum opera typis commissa sunt, in lucemque prolata.

Nam ad haec ipsa bona, quae secum attulit Graeco-

rum adventus, hoc quoque iisdem ferme temporibus accessit singulare beneficium, scilicet artis typographicae inventum, quod quamvis a Venetorum commercio non fluxerit, attamen veneti commercii subsidio disciplinarum omnium, atque artium studia celerius ac latius disseminavit. O illustria nomina Joannis et Vindelini fratrum a Spira, Nicolai Jensonii, ac Danielis Bombergi! O inclyta Manutiorum domus de graecis, de latinis, de italis litteris tam praeclare merita! Vos certe non casus aliquis, sed egregia litterariae reipublicae fortuna Venetias adduxit. Quae enim alia civitas aut vos studiosius excipere, aut amplioribus privilegiis ornare poterat? Undenam edita operum exemplaria in dissitas regiones facilius permanassent, quam Venetiis, quo commercii causa universae orbis terrarum gentes confluebant, unde ad Britanniam, Lusitaniam, Gallias, et ad maritimas Germaniae urbes expedita erat et frequens navigatio? Ubinam gentium praesto fuissent aut plures numero, aut magis probati codices, ex quibus editiones principes conficerentur? Venetiis praeterea aderant celeberrimi hebraicae, graecae, latinaeque linguae cultores; Venetiis multi et varii litteratissimorum virorum conventus, sive alio nomine academiae, quibus id potissimum curae erat, ut conjunctis consiliis ac laboribus vetustos codices inter se conferrent, graeca in latinum verterent, si qua esset in verbis varietas, magis idonea deligerent, atque ita opera commentariis, praefationibus, animadversionibus illustrata, cum summa


omnium admiratione et plausu, quam emendatissima evulgarent. Et jam paginae praelis premuntur, jam e pluteis, ubi tandiu latuerant, prodeunt Cicero, Virgilius, Plinius, Aristoteles, Homerus, Plutarchus, simulque Augustinus, Cyprianus, Basilius, Nazanzenus, caeterique tum graeci, tum latini scriptores ea diligentia, atque operis castigatione, eo characterum nitore, ut ars typographica vix in lucem edita visa sit Venetiis ad summam laudem pervenisse.

Atque hae quidem utilitates omnes e Venetorum navigationibus et commercio recta manarunt; quid de caeteris? Commercium divitias auget; divitiae alunt artes, quae sine praemiis ac largitionibus languescunt et in interitum ruunt; artes vero urbium splendori et dignitati maxime inserviunt. Quo unquam recidisset Joannis Bellini, Titiani, Tinctoreti, Pauli Veronensis, Victoriae, Calendarii, Palladii, Sansovini, aliorumque immortalium artificum industria atque ingenium, nisi munificentissimi maecenates iisdem invitamenta ac stimulos addidissent? Qui autem maecenates tot tantosque sumptus potuissent sustinere praeter Venetos, in quibus civicae dignitatis studium, amor ingenuarum artium, opulentia, largitas prope paria fuerunt? Venetiarum urbem universam non tam oculis, quam mente intueminor, auditores. Quae templorum majestas! quanta privatarum publicarumque aedium magnificentia! qui splendor ornamentorum! quae publici palatii moles! quam insolens! quam singularis! quanta insignium picturarum

signorumque copia! quanta diurno nocturnoque tempore ornatissimi fori pulcritudo! quae peristylia! quae porticus! Uno, quaeso, tantum in loco consistite, videlicet ante atrium templi Divi Marci, atque exinde tot ac tanta architecturae miracula dextra laevaque circumspicite. Nonne vos hujusce artis audacissima initia, incrementa, perfectionem, et plurium saeculorum seriem uno oculorum conjectu contemplari arbitramini? Id vero unde repetendum, nisi a venetis peregrinatoribus, venetisque maecenatibus? Quum enim architectura de Vitruvii sententia *ex pluribus disciplinis, et variis eruditionibus constet,* nihil magis confert ad eam perficiendam, quam docta peregrinatio, et publici census amplitudo. Qua in re Veneti mihi videntur aemulati fuisse Hadrianum Imperatorem, qui fuit maximus *peregrinator orbis romani*, quique aedificia perillustria, atque eximia loca, quae peregrinando conspexerat, Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe in villa sua tiburtina sumptuosis exstructionibus imitanda curavit eo consilio, ut unius villae circuitus tot dissimilium regionum ac locorum memoriam renovaret.

Nimirum is est, ingenui adolescentes, peregrinationum ac divitiarum fructus maximus, atque pulcherrimus, ut illae mentem cognitionibus exornent, hae vero ad artium atque studiorum incrementum sapientissima liberalitate impendantur; quod utrumque Venetos praestitisse vidimus, qui tam praeclaram, tam florentem,

atque eximiis optimarum artium exemplaribus tam abundantem urbem nobis reliquerunt, ut haec ipsa, sive loci naturam, sive res domi bellique egregie gestas, sive civium ingenium ac studia animadvertere velimus, non hominum, sed Superum manibus, quemadmodum etiam poetae cecinerunt, condita aliquando fuisse, atque exornata videatur.



RECENSENTUR AUCTORES

QUI POTISSIMUM CONSULENDI FUERUNT

Foscarini Marco. Della Letteratura Veneziana, Libri 8 vol. I Padova, stamp. del Seminario 1752.

Histoire de Venise par le comte Daru. Tom. 2 Bruxelles 1838 Livre XL pag. 307.

Marini Carlo Antonio. Storia civile e politica del commercio de' Veneziani. Tom. VIII Venezia 1798-1808.

Menin ab. Lodovico. Il costume di tutte le nazioni ecc. Padova, Minerva 1834.

Morelli Jacopo. Dissertazione intorno ad alcuni viaggiatori eruditi veneziani ecc. Venezia, stamp. Zatta 1803.

Mutinelli Fabio. Del commercio de' Veneziani. Venezia, Plet. 1835.

Polo Marco. Il Milione. Venezia, Alvisopoli 1829.

Renouard. Annales de l'Imprimerie des Aldes. Tom. 2 Paris 1803.

Tentori. Saggio sulla storia, e sulla corografia, e topografia della repubblica di Venezia. Tom. 12 Venezia, presso Giacomo Storti 1785.

Tiraboschi. Storia della letteratura italiana. Tomi XXVII Venezia, tipogr. Molinari 1823-25.

Zurla. Dissertazione intorno ai fratelli Zeni. Venezia, Zerletti 1808. — Viaggi di Alvise da Cadamosto. Venezia, Alvisopoli 1815. — Di Marco Polo, e degli altri viaggiatori veneziani più illustri ecc. Vol. 2 Venezia, co' tipi Picottiani 1818-19.